



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christophori de Ortega Sanclementini, E' Societate
Iesv. Qvondam in Provincia Toletana Theologiæ
Scholasticæ publici Professoris ... Tractatvs Dvo, De
Trinitate, Nec non, Incarnatione**

**Ortega, Cristóbal de
Lugduni, 1664**

Disputatio III. De Christi Domini satisfactione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94251](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94251)

Pro illo eodem tempore futuræ ipsi applicuerunt, ac Per summum scelus Christum necarunt.

2. Obiicies ergo: deficiente passione, & crucifixione à Iudæis, iudice, & tortoribus factâ Christus de facto obiisset. Patet: quia pro naturæ priori, vt eis donarentur auxilia mors supponitur aliunde factâ absolute: Confirmatur: quidquid à duplici causa totali fit, alterâ sublata absolute perseverare debet de facto; alioqui si alterâ deficiente deficit effectus, neutra causa totalis est. Respondetur distinguendo consequens, vi causalitatis, & influxus si prima causa maneret, sublata aliâ, concedo consequentiam; absolute, nego consequentiam; quia aliunde potest esse connexio duplicis illius causalitatis totalis, vt alterâ posita nequeat non esse & alia; & sublata altera, nequeat non & alia auferri; Nouit itaque Deus ac decreuit si ad exigentiam tristitiæ ac doloris Christi, eiusque acceptationis anxietate oblationis sui in mortem eam decerno, quam vt consummatiuam redemptionis, ac meritorum eius exopto, videoque executam, dabo auxilia gratiæ proditori, accusatori, iudici, & tortoribus, vt ab eius morte suo quisque gradu abstineant: vidit mortuum absolute ex vi primi decreti, exindeque necessitate consequenti ea omnia auxilia data illis sunt, morisque ab ipsis secundò causata, logica impossibilitate ea omnia non eueniendi, ac mortis secundò ab eis non causandæ. Ast inquis: vt quid auxilia dabantur vt mortem vitarent, quam absolute auxilia supponebant? Respondeo: non, vt absolute vitarent mortem, sed ne ad eam concurrerent ponerentque re ipsa secundò; vt ipsi autem putabant primo.

3. Oppones secundò: mors Christi absolute supponitur futura vi anterioris decreti, ante auxilia illis hominibus data, eorumque actiones: ergo Iudæi, Pilatus, & crucifigentes non occiderunt Christum; quod est aperte contra Scripturam. Patet consequentia. Nam occisio essentia suâ supponit viuum eum, qui ipsa occiditur, non mortuum: atqui per nos actiones omnes parantium, atque exequentium Christi mortem supposuerunt naturâ Christum mortuum, non viuum: ergo non fuerunt propriè occisiones Christi: ergo, qui eas exhibuerunt, non occiderunt Christum. Nego primam consequentiam ad cuius probationem distinguo maiorem: supponit naturâ viuum ac non mortuum occidendum, nego maiorem; tempore supponit, concedo maiorem. Et admittâ minori, nego consequentiam. Ratio est prona quia ad mortem solum supponitur vita tanquam terminus à quo, quasi mutationis à vita ad mortem, qui terminus mutationis nusquam nisi tempore præcedit; Sin ostendant, quo cause genere vita in viuentis mortem influere debeat: aut quomodo mors ad viuentis generationem (cuius eadem est ratio) concurrat.

At inquis, Christi oblatio in mortem supponebat malitiam ac determinationem Iudæorum de eius occisione ac proinde & auxilia data, ne eum occidere decernerent: ergo non citatur mutua prioritas cum hæc oblatio decretum primum de morte Christi antecesserit per nos. Antecedens videtur apertum apud Evangelium Ioannis. *sciens Iesus quia venit hora eius.* Atque illis etiam verbis: *desiderio desideravi hoc Pascha manducare vobiscum antequam patiar.* Nego antecedens. Licet enim eam scientiam absolutam de sua passione, & morte, nec solum tunc, sed ab initio, conceptionis suæ Christus haberet, rectèque seruat Ioannes; at se ex illa scientia Patri in mortem obtulisse, nec Ioannes docet, nec est admittendum, sed solum ex scientia conditionata mortis à Patre deecernendæ si se offerret. Esto: cum se à Iudæis vitæ occidendum occurrit seseque obtulit, ex scientia determinationis eorum sese obtulerit; sed eâ ratione ipsorum auxilia, ne mortem pararent, non præcessit.

Denique instabis, dolorem, & tristitiam quæ primum illud decretum antecedere, fuisse de peccatis omnibus

futuris, inter quæ erant crucifigentium; vnde maior prioritas inferitur, quam vitare conamur. Sed respondeo fuisse de omnibus aliis, non de crucifigentium, mortemque parantium, licet eorum etiam dolorem, & tristitiam haberet: ast cum in dolore aliorum satis ad mortem esset, eorum solum dolor attentus ad deecernendam suspensionem conuersus fuit.




DISPVATIO III.

De Christi Domini satisfactione.



BLONGAM alij hac de re disputationem texunt, quia, vt paucula controuersia de satisfactione hac remissa tradant, alia omnia repetenda hic sunt. Nos verò, qui nil ibi, quod ad satisfactionem spectet omisimus sed rem totam absolui-mus, breui præsentem disputationem expediemus diu-bus nempè breuiculis quæstionibus. Prima erit, quoniam Christus Dominus satisfecerit? secunda ex qua virtute fecerit pro omnibus satis.



QVÆSTIO I.

Quoniam Christus pro omnibus satisfecerit?

DE duobus quæstio esse potest, an vtroque, vel altero Christus pro omnibus satisfecerit: nempè de meritorius ipsius operibus deque re ipsa oblata, puta, vitâ Deo à Christo oblata, per mortem, sanguine per verbera, ac similibus.

CETARMEN I.

Meritis suis Christus dominus pro omnibus satisfecit superabundanter, ac nostrâ à Deo opera non exclusit.

Dico primò: Christus suis meritorius operibus pro omnibus superabundanter satisfecit. Hæc Patrum omnium communis conclusio Catholicis omnibus, imò & hæreticis indubitata, sapissimè in Scriptura, tum nouâ, tum veteri expressa, Paulo præsertim tertio quoque Verbo inculcata. Idcirco testimonium Scripturæ, & Patrum recitandis, doctoribusque Theologis recensendis, vti superfluo labore, abstinere: cum vno verbo referri pro ea omnes possint. Ratio Theologica ad manum cuique est. Cum enim disp. r. q. i. ostenderit quodvis Christi meritum infinitum simpliciter esse: atque de ratione meriti infiniti simpliciter sit præmium omne possibile meritis, insuper omnium peccatorum remissio, tam quoad culpam, quam quoad offensam (etsi hæc à culpa & malitia diuersa esse admittatur) & quoad omnia merita ex illis contracta, sic præmium possibile respectu Christi Domini, qui, vt pote nostri omnium caput, eorum remissione potest in omnibus præmiari: ergo vnico solum actu meritorio eam nobis cunctis remissionem, non solum condignè, vt nulla ipsi à Deo fieret gratuita liberalis donatio, sed superabundanter: siquidem, nec omnes possibiles remissiones datæ de facto sunt, nec si darentur illius vnici actus meritorius æquarent, nedum excederent. Quod si vnico actu superabundanter

superabundanter etiam, pro omnibus satisfecit ob cuiusque merituum valorem infinitum, quid de satisfactione per infinitos penè actus meritorios ab instanti conceptionis ad vitæ ultimum continuò nocte dièque, in somno, ac vigilia ab ipso elicito dicemus? temperamento sanè opus est, non tanta exhibitâ meritiua satisfactione, ocio nos ac somno solui posse cum hæreticis credamus.

2 Dico secundò. Meritiua Christi satisfactio merita & studia nostra honestan non excludit; est Catholicorum omnium conclusio contra proximi & præsentis sæculi nouatores, Lutheranos, Caluinistas, & alios, qui redemptionem Christi peccandi copiam sibi esse impiè volunt, ac perditæ suæ vitæ thesaurum credunt, & clamant. Probatur conclusio ex Vasquez d. 4. Soar. d. 4. lect. 5. s. ex his ergo, quæ in genere: quia satisfactio meritoria Christi seipsa extinctiua formaliter debij ac peccatorum nostrorum non est, imò nec esse potest: ergo non est necessariò eorum satisfactiua, nisi Deum cogat exactiue, aut actiue, vt remittat. Probo consequentiam; quod enim formalis satisfactio non est, potest cum debito & peccato consistere: ergo nisi aliunde, exactiue videlicet, aut actiue Deum cogat, vt remittat, debitum peccati & actumque in ipsum absoluit cum illo consistere poterit. Si autem potest absolute consistere, ac proinde nostrum studij atque opus locum etiam habere potest, posita Christi redemptione, vt à peccatis de facto, eorumque debitis liberemur, gloriosius Deo Christoque ita nos meritis suis redimere ac pro peccatis nostris satisfacere, vt studio nostrisque bonis operibus locus daretur, quam vt nostrum studium bonaque opera prolixè excluderentur ad consequendum, omnem redemptionis illius fructum. Etenim primo modo ea solum nobis ex meritis Christi donarentur, quibus nos propria industria, & laudabilitate accedente honestè viuereus salutemque, & gloriam assequeremur: ac proinde primo redemptionis genere Christus honeste ac sancte reipublice auctor suis meritis extiterit; secundo autem redimendi modo, qui nostra opera excluderet, perditorem hominum, ac flagitiosorum auctor fuisset; siquidem redemptionis securitas delinquendi faceret hominibus facultatè, vt proh dolor in hæreticis, qui ita opinantur, experimur. At quis dubitet Deo gloriosius esse ac Christo. proborum hominum auctorem esse, quam perditorum: nobis item sanctos ex Christi meritis esse, proprioque simul merito ac labore pio beatos quam perditos, ac prauos felices.

3 In antecedenti primo, ex quo discursus noster pendet fundandò Vasquez & Soar. strenuè laborarunt. Etenim, vt ex aliqua actione formaliter tollatur denominatio, seu moralis effectus fundatus in alia, debet inter vtramque formalis oppositio intercedere, vt mille, imò omnibus exemplis in materia ablationis formalis denominationis, seu effectus moralis fundati in actione aliqua per aliam, manifestum est: atqui meritoria Christi operatio formaliter non opponitur actioni nostræ peccaminosæ, in qua fundatur denominatio atque effectus moralis peccati, & debiti ex illo contracti: ergo meritoria operatione Christi non tollitur formaliter peccatum, eiusque debitum: quare, nec est formalis nostrorum peccatorum, atque ex eis ortorum debitorum satisfactio. Patet consequentia hæc; quia solum quod formaliter tollit peccatum eiusque debita, est eorum formalis satisfactio, vnde inferitur, nec esse posse formalem satisfactionem pro nostris peccatis merita Christi secundum se precisè: quia formalis effectus formæ, ex intrinseco & essentiâ formæ prouenit inuitabiliter. Quare, quod semel positum formalem effectum non præstat, secundum se præstare illud non valet. Minor primi syllogismi probatur. Nam oppositio formalis solum est inter formas respectu eiusdem subiecti: atqui subiectum actionis meritorie Christi Christus est, meæ, verò actionis peccaminosæ

ergo, & sic in aliis hominibus, qui omnes diuersi reipsa à Christo sumus: ergo inter actionem meritoriam Christi & actionem nostram peccaminosam, non est oppositio formalis. Confirmo; quia dignitas & præmium ex opere meritorio solum prouenit subiecto operanti, quamuis alter mercedem recipiat pro operante, non tamen laudabilis ob eius actionem est, sed solum usufructuarius eorum, quæ alterius laudabilitati, ac merito à quo se abdicare nequit, debentur. Ergo tota dignitas meritoria Christi, respectu gratiæ remissionis peccatorum, ac gloriæ ita in Christo est, vt in homines nec transferatur, nec transferri possit: etiam dum eius titulo gratiæ auxilia à Deo recipiunt: ergo indignitas peccatorum nostrorum stare potest in nobis, stante dignitate meritoria suorum operum in Christo: ergo non opponuntur formaliter.

4 Quod autem nec actiue, nec exactiue indicat necessariò meritum & redemptio Christi remissionem nostrorum peccatorum ac debitorum, quæ ab illa contraximus, Probatur facillè. Primò ab absurdo: quia, si ita res esset, infernus pro hominibus puniendis negandus foret afferendumque neminem ob sua peccata, inferno damnandum: imò nec temporalibus pœnis mulstandum, sine Dei crudelitate ac duritie voluntariâ. Quid enim boni, & æqui in aliqua hominum punitione esset pro peccatis, pro quibus satisfactionem necessariam, quamque nequeat non admittere, recipit. Secundo probatur: quia oblata solutione, seu valore (in quouis genere sit) personæ offensæ, seu iudici ab alio pro reo, seu offendente, estis valor ab alio oblarus, longe sit maior illo, quem reus, vel offendens debet exhibere: integrum iudicis vel personæ offensæ est, illud pro reo vel offendente in solutionem, seu satisfactionem admittere vel fecis, quin vel reo, vel offerenti iniuria fiat: ergo, licet meritorius Christi valor, quo pro nobis satisfecit, longè maior sit malitia, & demerito ac debito omnium hominum peccatorum, & etiam possibilium, vt verè infinitè maior est Deo iudici, & si placet, etiam specialiter à nobis offenso per delicta nostra, integrum erit illa pro delictis mundi in nostri omnium satisfactionem acceptare vel non acceptare absque vllâ nobis vel Christo exhibenti iniuria arrogata: eo precisè quod sit alterius ac non delinquentium ipsorum solutio, & satisfactio: ergo merita Christi nec sunt se ipsis formalis satisfactio, & remissio nostrorum delictorum, nec eam necessariò inferunt. Quare eis positus liberè atque cum honestate summa potest Deus nostrorum delictorum offensas, ac debita remittere absolute, vel non remittere: quare & sic velle eas remittere & aboleri, vt nostra industria bonisque vsus gratiæ intercedat. Id quod nescio, quâ ad suos errores consequentiâ præfati hæretici negent: cum ad eorum omnium remissionem fidem in Christum, quam sufficere docent, requirant: quæ, nisi ipsorum sit, bona honestaque fides hominum est. Eam autem fidem sufficere, qui alter eorum error est, impugnauimus satis controu. de gratia iustificante. Legat, qui vult ea de re, Maldonatum nostrum saepe doctissimis commentariis in Euangelia dispersantem, præsertim ad illa Math. verba *Videns fides eorum ais paralytico: remittuntur tibi peccata tua.* Vbi, quam extra rem hoc, & alia Euangelij testimonia pro suo errore ab hæreticis inducantur, doctè, & subtiliter demonstrat.

5 At dices. Nequit Deus remittere peccatum Petri ob merita iusti alterius, quia maior est indignitas Petri visque meritiua delicti, quam vis meritiua operis meritorij: atqui maior est excessus dignitatis Christi, valorisque meritiui suorum operum pro nobis satisfaciendum, respectu indignitatis delinquentium hominum valorisque demeritorij peccatorum: ergo hoc positò non poterit Deus peccata & debita detinere ac non remittere, tenebre à gratiæ & gloriæ donatione, ac remissione peccatorum, & debitorum ex illis. Probatur

batur consequentia ac simul confirmatur hæc ratio à priori quia posito contrario debiliore in conspectu fortioris, nequit non fortiori effectus decerni victoriæque à Deo addici: ergo posito infinites fortiori, maiorique valore, & exigentia meritiua, & satisfactoria operum Christi, nequit non contra minorem debilioremque exigentiam demeritum peccatorum etiam omnium præualere, & remitti à Deo peccata, eorumque debita omnia.

Recentiores Complutenfes ex Lorca d. 8. num. 25. & vt putant, ex Anselmo. 2. cur. Deus homo. c. 19. aiunt respectu eorum, quibus efficaciter merita sua Christus applicuit, tenere consequentiam, sed quatenus ex valore meritiuo esse, cum aliis sufficiens applicatio Christi non desit, in omnibus, æque, vel negandum vel admittendum videtur. Admisso igitur antecedenti negant secundò idem consequentiam; ea tamen doctrina qua subiungendis ab ipsis instantiis locum potius quam solutioni faciunt. Respondemus nos primò negando antecedens; tum quia iustum posse de condigno gratiam peccatori mereri offendimus contr. 2. d. q. cum etiam, quia licet solum possit mereri illam de congruo peccatori, aut sæpe hoc solum merito posito contra peccatoris indignitatem præualuit, vt ipsi gratia ob iusti alterius merita daretur, vt Saulo ob Stephani merita fatentur Patres, & Scholastici. Ratio est: quia merita, vel demerita nulla ita Deum cogunt, vt quod exigunt negare vel concedere integram ipsi non sit, ac cui velit exigentia maiori, vel minori annuere supremi sui erga creatura omnia iure. Vnde constat falsum esse confirmationis à priori antecedens; licet enim regulato decreto ex sola exigentia creata verum sit, aut cum posset illam Deus honestissime, ac sine creaturarum iniuria negligere, est absolute falsum.

CERTAMEN II.

Re etiam oblata, Christus pro omnium peccatis satisfecit.

I Et conclusio expressa nostri Vuadingo d. 4. dub. 10. num. 134. in eamque inclinatur Sôar. d. 15. lect. 6. 8. sed responderi possit. Licet autem non sit à Deo communis Theologis cæteris, eam tamen amplectimur, quia videtur Scripturæ, & Patribus conformior. Probat 1. ex 1. Petri. 1. Non corruptibilibus auro, & argento sed pretioso sanguine agni immaculati redemptionem vestris: ad Ephes. 1. in quo habemus redemptionem per sanguinem eius. At inquit Vasquez d. 36. c. 6. hæc de sanguine non secundum se sumpto, sed, vt meritorie effuso, esse intelligenda, vt videtur innuere August. 13. de Trinitate dicens: sanguis ille quoniam eius erat, qui nullum habuit omnino peccatum, ad remissionem nostrorum susus est peccatorum. Ac Leo. Pap. serm. 12. de Pasch. c. 13. effusio sanguinis iusti, tam potens fuit ad priuilegium, tam diues ad pretium, sed certè nil in his est, quod meriti valorem ad valoris redemptorij vim in sanguine à Christo necessarium sonet; quin, dum dignitatem, & sanctitatem fundentis ex vnione hypostatica memorant sanguinis ipsius, hypostaticè etiam vniri valorem redemptorium potius declarant. Secundò illius hæc verba sonarent: non tamen aliunde valorem sanguini, quam ex merito, negant: quare argumentum ex his patribus negatiuum solam esset: videlicet valde infirmum. Maxime, cum Augustinus infra citandus in sanguine ipso effuso valorem redemptorium recognoscat. Tertio: in primo Petri testimonio valori auri, & argenti, qui independens est à merito soluentis, ac redimentis, sanguinis Christi redemptorius valor comparatur, & præfertur. Secundo verò testimonio Pauli per sanguinem Christi redemptionem

haberi nulla meritorum eius mentione facta dicitur. Consonat idem Paulus sibi dicens, tam ibi quam ad Collos. 2. & ad Rom. 3. Redemptos nos esse per filium in sanguine ipsius. Adde Lucæ 22. hic calix nouum testamentum est in sanguine meo, qui pro vobis effundetur, quibus similia reliqui Euangelistæ tunc à Christo dicta retulerunt. Item 1. Ioann. 1. sanguis Iesu Christi filij eius emundat nos ab omni peccato. Apocal. 7. de beatis dicitur lauerunt ac dealbauerunt stolas suas in sanguine agni. Si autem in sanguine ipso non esset valor satisfactorius, ac remissorius peccatorum, sed solum in merito offerentis, minus propriè sanguine ipso mundari, ac lauare, & dealbare stolas suas dicerentur iusti: ergo in ipso sanguine valor ille inesse censendus est, vt propriè accipiantur ea testimonia: maxime, cum propriè huic acceptioni nec Scriptura, nec Patres, nec firma vlla Theologica ratio aduerfetur, sed potius fauant, vt iam ostendo.

2. Audiatur ex Patribus primo loco Augustinus serm. 128. de tempore, sic pro nostra conclusione locutus: Pretium vite nostra sanguis est Domini, & totius vite incolumitas sempiterna. Pecunia illa totius mundi copiosa possessio est. Quid clarius: valor in sanguine sicut in pecunia independenter à merito offerentis recognoscit: sicut, & Leo extremis verbis illis à Valp. quo oppositis, tam diues ad pretium. Sed, luculentius adhuc ad illa verba psal. 65. Terribilis est super omnes Deos in eandem sententiam scribit. Queritis quid emerit, videte quid dederit, & inuenite quid emerit. Sanguis Christi pretium est: tanti quid valet: quid nisi totus orbis quid nisi omnes gentes: consonat Cyril. Alex. lib. de fide ad Regi. & Clemens 6. in extrauagan. vnigenitus, de penitent. & remissionibus qui nulla facta mentione meriti offerentis in sanguine Christi, imò in quavis eius minima guttula superabundans etiam redemptionis nostræ pretium recognoscunt.

Accedit quod Theologi illius ætatis famofores coram Pio. II. disputantes contra Durandum & alios, qui negabant sanguinem Christi vnium hypostaticè Verbo fuisse, vnium fuisse probabant, quia ex citatis Scripturæ locis in illo fuit nostræ redemptionis pretium: atqui, si solam actione meriti offerentis tantum, & non in sanguine ipso, valorem recognoscerent, tunc inde inferrent vnionem eius hypostaticam cum Verbo: nam, etsi offerretur aliquid non vnium hypostaticè v. g. elemosynam in illo ratione meriti offerentis pretium redemptionis esset; ergo censent in ipso sanguine esse, asserunt ab Scriptura, & Patribus, pretium redemptionis nostræ, quod nisi ex dignitate vnionis hypostaticæ sanguini inesse non poterat: ac proinde bene ex pretio redemptionis nostræ in sanguine contento vnionem hypostaticam sanguinis Christi intulerunt. Ea verò disputatione, & argumento contra Durandum, & sequaces audita, Pius secundus eorum doctrinam damnauit, vt testis ocularis est Syluester in rosa aurea tract. 13. q. 71. referuntque Dominicus de Dominicis quaestiones Euangel. in Paschate & lib. de sanguine Christi, ac Director inquisitorum 2. p. q. 10. Cum autem conclusio nostra, eius argumenti fuerit antecedens, probata etiam Pio. 2. fuit.

3. Denique audiendus est Paulus ad Hebr. 9. non solum conclusionem, sed & rationem eius prioris his verbis perstringens. Si enim sanguis hyrcorum atque Taurorum &c. quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram, ac si diceret: si ex Dei pacto sanguis hyrcorum independenter à merito offerentis vim habebat, valoremque ad emendationem carnis, quanto magis vi vnionis hypostaticæ cum Deo, sanguis Christivim habebit, & valorem emundandi conscientias nostras à peccatis independenter à merito Christi offerentis, & effundentis. Vbi non solum argumentum à paritate continetur, sed à priori: quia ex vi vnionis hypostaticæ aduenit sanguini Christi à Deitate

Deitate valor infinitus, immensaque æstimabilitas, quæque totius mundi redemptionem æstimacione rationabili superet: non secus ac ob dignitate operantis Christi ipsius operibus infinitus accrescit valor: ergo opus non habet sanguis Christi merito offerentis, & effundentis, ut sit superabundans pretium redemptionis; sicut, nec merita Christi alio egent: ergo re etiam oblata Christus nos redemit atque pro omnibus superabundanter satisfecit. Probatum secundo à pari; quia in Sacrificio Missæ independentem à merito offerentis, siue principalis Christi, qui nunc, cum offeratur, nil meretur, siue sacerdotis, qui nil sapere, parum meretur infinitus est valor ex parte rei oblata: quia eo incruenter immolatur caro, sanguis, vitæque Christi ratione vnionis hypostatice infinite digna: ergo, cum hæc eadem cruentè à Christo offerbantur, infinitus in eorum oblatione ex parte rei oblata atque independentem à merito offerentis inerat ad redemptionem, & satisfacionem, valor.

4. Opponit Vasquez: ergo Christus effusis lacrymis ex parte rei oblatae æque nos redemit: cum tamen Scriptura, & Patres omnes sanguine Christi nos redemptos clamant, nusquam verò iis edemptos dicant. Respondetur, atriùs obiectione hac impeti obiectionem. Etenim valor meritorius æque est in effusione lacrymarum Christi atque in sanguinis ipsius effusione: quare de redemptione, & satisfacione meritoria eodem modo de vtriusque effusione loqui deberent: ergo obiectio hæc probat potius in sanguinis Christi effusione, ex parte rei oblata esse redemptionem, & satisfacionem, non autem in lacrymarum, effusione, quia humor ille aqueus lachrymationi inseruiens, vel vnitus hypostatice non fuit (ut verius puto, nequod semel assumptum est, fuerit aliquando dimissum) vel vbi primum est effusus vnitus non permansit: in his autem, quæ oblatione ipsa non pereunt, ut valor, & pretium ex parte rei oblatae adit oportet, ut post oblationem perseueret; non perseueravit autem, in lacrymis oblatis, & effusis, cum vnio ipsa effusione earum cessarit. In his autem quæ oblatione ipsa pereunt, ut vita, sicut non requiritur, ut existant cum offeruntur, sed, quod in eius, cui offeruntur, obsequium pereant, opus non est, ut valor, & pretiositas eorum, quæ sine ipsis esse non potest, perseueret: sed quod totum à Deo antea pretiosum in eius volupratem profundatur.

5. Acutiùs obiecit sibi Vuadingo. ergo cum Deipara puerum præsentavit in Templo, ex parte rei oblata mundum redemit, & pro omnibus satisfecit: cum puer oblatus ob hypostatice vnionem infiniti valoris esset. Respondet autem optimè, ut aliquis re oblata satisfaciatur non esse satis rem oblata æquare, imò excedere satisfacionem, sed esse ex rebus sui Domini; Deipara autem in puerum oblata Dominium non habuit vnquam, quin potius semper sub eius dominio fuit. Patet id quidem exemplo. Est enim alius dicat debitori: solve ex mea pecunia tuo creditori, ni pecunie dominium in ipsum transferat, sed is alterius pecunia ex eius voluntate, & iussu soluerit, non ipse sed alius, cuius pecunia est, soluit, & satisfaciatur. Sic Deipara è pueri voluntate & iussu filium Templo & Deo offerens, etiam pro sui, & aliorum hominum redemptione, & satisfacione non illa, sed puer ipse re oblata nos tunc redemisse, ac pro omnibus satisfecisse dicendus est.

At dices: quidnam Deo datur, offeruntur, de quo denuò complacet, & quod non habeat, effusione sanguinis Christi, si actionem meritoriam deducas qua gratum denuò obiectum exhibeatur: cuique debeat suo modo gratitudinem? Sed rogo quidnam Deo, quod non habeat, nouæ materia iucunditatis gratitudinisque Deo sit, offeratur in Missæ sacrificio: nam Christus inuenit oblatus, mortisque eius merita iam habebat: repetitione igitur oblationis

R.P. Christioph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

eorum, quæ semel habuit, hic complacet: ibi vero oblatione prima.

QVÆSTIO II.

Ex qua virtute Christus satisfecit.

Duplicem satisfacionem Christi pro nobis asseruimus proximè, & per merita, & per rem oblata, de vtræque ergo inquiritur ex qua virtute fuerit?

CERTAMEN I.

Re oblata ex nulla virtute Christus satisfecit formaliter, secus materialiter.

Diximus Re oblata Christum Dominum satisfecisse quod tamen ita intelligendum non est, ut satisfactio hæc liberam rei illius, scilicet sanguinis, ac vitæ profuse à Christo exhibitionem excludat. Etenim satisfactio non solum dicit rei, quæ satis fit, valorem, debito æqualem, sed eius, qui eam satisfaciatur, spontaneam, liberamque creditori exhibitionem. Vt enim supra aduertebamus, cum ab inuito & volenti Prator tantundem pecunie extorquet, quantum satis est ad compensandum creditori, idque creditori tradidit in compensationem, debitor non satisfaciatur, licet, ex eius pecunia satisfactum fuerit per Pratorem ac proinde, & debitum extinctum. Vt ergo Christus, re etiam oblata vitæ ac sanguinis effusione pro nobis satisfecerit, opus est ut spontaneè, ac liberè vitæ, & sanguinem suum Deo obtulerit, atque in ipsius obsequium effuderit. Cum autem infinitam eius sanctitatem deceret, nil liberè, nisi laudabiliter, & honestè, ac meritorie in ipso exerceri, in ea Sanguinis vitæque suæ oblatione ex virtute fuisse, ac non sine merito operatum citra dubium est. Hinc videtur Christum, re etiam oblata, non nisi ex virtute aliqua satisfecisse: ac proinde, ex quâ denuò, re etiam oblata; Deo pro nobis omnibus satisfecerit, inquirendum merito esse.

Dico primò tamen. Re oblata ex nulla virtute Christus formaliter satisfecit. Nullos habet conclusio, siue aduersarios, siue Patronos: quia satisfactio hæc Christi per rem oblata non adeò minutè explorat à Theologis, etiam pauculis, eius assertoribus fuit. Ratio est ex ipsa conclusione & satisfacione Christi, re etiam oblata, satis proclius: siquidem, ut re oblata fiat satisfactio debet esse in ipsa quantum satis fit, ut debito, pro quo satis fit, fiat satis, quin, ut ipsa fiat debito satis, aduocanda sit virtus, ac valor meritorius actionis, qua res seipsa debito æqualis exhibetur à satisfaciatur: imò, quin aduocari possit aut debeat. Etenim, si aduocari debeat res oblata, aduocata compensatio debiti illius non est, aut poterit non esse: quod implicat cum suppositione, quod seipsa, nimirum res oblata, æqua compensatio sit. Hinc, qui debet centum eo præcisè, quod sponte ac liberè centum creditori appendit, re appensa, & oblata satisfaciatur, ex quocumque sine appendat, vel indifferenti, vel turpi, vel honesto. Quin quotidie videmus debitorem creditori soluere, non ex iustitiæ amore, sed inanis gloriæ, vel inimicitie gratia, ut eum postmodum liberius insectetur, quin eo à perfecta solutione satisfacioneque debiti per rem exhibitam solutio decidat. Quod si ex benevolentia creditoris soluat, aut ex misericordia, ut eius necessitatem subleuet, adiungetur meritum cum satisfacione, siue actione satisfaciatur soluentis, per accidens tamen ad satisfacionem pecuniariam, eo quod in hanc minime ingrediatur. Cum

H H h ergo

ergo in re per Christum oblata secundum se superabundans redemptionis pretium esse statuerimus, licet in libera eius actione ad satisfactionem ab ipso faciendam necessaria & honesta, & meritum, finisque virtutis adsit; aut satisfactionem non ingrediatur illam, nec quia ex fine honesto est effusio sanguinis, ac vitæ, quæ secundum se satisfacere formaliter possunt.

3 Dico secundò: Satisfactio Christi, etiam re oblata, materialiter fuit ex fine aliquo honesto, ac proinde honesta, & meritoria. Hoc solum probari difficultas proposita num. 1. sine, & explicata sub finem numeri 2. Tenim, cum ad Christi satisfactionem non solum per meritum, sed per rem etiam oblata, libera Christi oblato effusioque vitæ, & sanguinis requiratur nullaque libera Christi actio quæ non sit ex fine honesto laudabilis, & meritoria esse possit, sine infinitæ suæ sanctitatis præiudicio: sit, ut actio satisfactoria Christi, etiam per rem oblata necessariò sit ex honesto fine: quare, & coniuncta honestati, & merito Christi, licet res oblata, & actio formaliter ad illam requisita satisfactio non sint, sed materialiter solum merito, & honestati, ex probo sine desumptis coniunctæ.

Sed tamen quis fuerit eius satisfactionis materialiter honestæ finis non satis inter doctores conueniet. Tot enim opiniones erunt, quot statim de satisfactione meritoria agentes referemus. Quòd autem satisfactio hæc ex iustitiæ, vel quasi iustitiæ sine fuerit, videtur vrgentius, quam de satisfactione meritiua, suaderi. Nam; si Christus re oblata, tanquam pecunia, & pretio dato satisfacit honestè, non ex alio fine honesto quam satisfaciendi, videtur egisse, Deique placandi, & hominum liberandorum sine, & amore. In hoc autem difficultates de oratione, & gratitudine ad satisfaciendum pro antecessis hominibus videntur recrudescere, Nec enim se vtrumque creditori exhibita, sine applicatione speciali, ad hoc, vel illud debitum pro illis satisfacit: v.g. do centum aureos creditori Petri, qui debet viginti, & Ioannis, qui debet triginta: nisi ex illis, quos do, totidem pro Petri debito applicem, ut satisfaciam pro illo, totidemque pro Ioanne, nec satisfactio est nec debitum extinguo: ergo similiter in nostro casu.

4 Dico tamen tertio: Ut satisfactio Christi re etiam oblata sit, opus non est vt fiat sine satisfaciendi Deo pro hominibus, nec speciali applicatione. Primum patet ex distis num. 2. med. Nam satisfactio ex quocumque fine fiat, debitum extinguit æque, atque perfecta est satisfactio. Sed, nec applicatione speciali opus fuit in nostro casu; quia, sicut de mortis dicebamus Christi, nobis nimirum iure vnionis siue vnionis moralis, quam Christus cum hominibus, vtpote eorum frater, & caput, habuit, eius merita seipsis ad præmium illorum recipiendum esse applicata, ita etiam, quidquid valoris satisfactorij & redemptiui in ipso est, vbi in Dei obsequium expenditur, nobis ad satisfactionem satis applicatum est, vt Deus ob illud debita cuncta hominibus remittere possit, ac gratiam, & gloriam bene illa ventibus impertiri. Quare ex quocumque fine honesto sanguinem vitamque profunderet, pro nobis fecisset satis. Nihilominus applicatio non desuit, non tamen orationis, aut gratiarum actionis, sed solius finis satisfaciendi pro hominibus, eòque redimendi, non attendendo antecessorum præteritionem & aliorum futuritionem, dum sanguinem vitamque effudit. Ex quo Christi affectu, & rei exhibitione pro priori naturæ præiusto cunctis suo cuique tempore, gratiam Deus pro posteriori naturæ largitur, peccata remittit, gloriam donat, quin Christus pro antiquis orare, gratiæ agere teneatur.

CERTAMEN II.

Statuitur ex quâ virtute Christus meritorie satisfecerit.

1 **V**isitator, familiariorque Doctoribus est discutias præsens, ex qua nimirum virtute Christus meritorie satisfecerit? in qua longa factis est inter Vasquianos, & Soristas disputatio: an ex virtute iustitiæ, asserentibus hisce, illis verò negantibus: quibus, & nos consentimus controu. 2. d.c. Sunt, qui parent pro antiquis gratiarum actione, ac proinde ex gratitudine, satisfecisse meritorie, pro posteris vero oratione: quare, & ex virtute religionis; quem modum satisfaciendi, etiam pro antiquis locum habere putat Cardinalis Lugo ac proinde pro omnibus ex eadem satisfecisse virtute. Extremum hoc, imò & duo prima disceci d. anteced. q. 4. ostendendo, vt merita Christi hominibus præsent, speciali applicatione ipsius opus non fuisse, sed ratione vnionis moralis Christi capitis cum reliquis hominibus, suis videlicet fratribus, & membris, satis illis esse Christi merita applicata, vt eorum mercedem possint à Deo obtinere. Ex quo principio; & difficultas, & opinionis ista generatim à fundamento eruntur. Speciatim verò contra Lugo ostendi orationem pro re certò accepta esse non posse: quare, nec pro gratia, quæ certo data antiquis Patribus supponebatur videbaturque à Christo. Applicationem pro hominibus futuris per orationem in Vasquianis, & Lugo reprehendi; quòd Christum pro omnibus futuris post ipsum hominibus oratione non satis constet, quæ hic perstrinxisse fuerit satis, vt inde ex religionis virtute Christum meritorie pro omnibus satisfecisse non probari monstratur.


2 Ostendi etiam ibidem contra Vasquium, & asseclas non potuisse Christum antecessis hominibus gratiam ac peccatorum remissionem per gratiarum actionem mereri: vnde patet, nec ex gratitudine formaliter potuisse pro illis satisfacere, quin principium meriti sub meritum caderet, si ob meritum gratiarum actionis absolute prænitium (quomodo, & Vasquez admittit, & solum dari postest) gratia Antiquis data sit. Hæc replicari possent solutiones ab aliis data pro merito Christi respectu gratiæ progenitorum, earumque impugnationes: item solutio ex meritis per modum precij, & solutionis. Sed hæc omnia, ita satis à nobis supra reiecta sunt, vt nouis impugnationibus non egeamus; solum hic aduerterim doctrinam nostram, qua difficultatem de gratia progenitorum d. antecessenti componebam, de duplici actione totali existentis Christi, locum in merito & satisfactione Christi meritoria per gratiarum actionem pro gratia antiquorum Patrum non habere: quia per quamcumque actionem totalem Christus existens ad gratiarum actionem formalem supponatur, siue à causis naturalibus dependenter siue independenter, gratiarum actio supponere pro priori naturæ debet gratiam antiquis Patribus collatam, & executam. Quare, nisi arbitrariè, & sine fundamento actione secunda totali ob meritum gratiarum actionis gratiam antiquorum Patrum secundò productam asseras, mutuum inter hæc, & repugnantem prioritatem non effugies. Sed nec sic euacuabis difficultatem: quia quod semel præhabetur materia præmij non est.

3 Concludo igitur Christum meritorie satisfecisse ex aliis omnibus virtutibus à gratitudine, quas perfectissimè suis actionibus ex proprio cuiusque motu exercuit, dum apud mortales vixit, vt supra satis à nobis ostensum est. Eis enim, & cunctis, & singulis infinito valore meritorio gratiam nobis, & remissionem peccatorum, non condigne solum, sed supra condignum

condignum & superabundanter fuit promeritus: ac proinde, & meritorie pro omnium peccatis satisfecit: qua in re neminem dissentientem vidi ex Recentioribus, imò nec ex antiquis, si Vainquim excipias, qui totus in gratiarum actione, & oratione est, nisi que legi, quod conclusio, vel leuiter, officiat solum.


Obiici potest Christum id, in quod venit in mundum habere debuisse pro motiuo suarum actionum: cum vt exactè opus suum, ac perfectè, perageret: tum vt suam humanam voluntatem, nec solum opera conformaret perfectissimè voluntati diuinæ, vt conformatum de humana testatus est sæpè: *in iis, que patris mei sunt oportet me esse. Et iterum: non veni, vt facerem voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me: & pluries: At missus est, ac venit à Deo ex fine redemptionis, & satisfactionis pro hominibus: ergo is*

fuit ipsi omnium suarum actionum præstitus finis ergo in nulla habuit pro fine aliarum virtutum speciales honestates: ergo nec vllam aliam intendit, siue exercuit præter ipsam, sed tanquam medium ad redemptionem, & satisfactionem inrentam. Respondetur tamen: non posse ex fine redemptionis ceteras virtutes propter suam honestatem, vel quantum satis sit vt virtutes sint, à Christo Domino exerceri, cum in eis, vt talibus, sit meritum & satisfactio pro nobis. An verò ex affectu, & intentione eius finis imperatiuè, an verò motiue solum, difficultas est qua ex aliis principiis pendet, quam hic examinare non expedit: cum satis ad obiectionem sit ex affectu redemptionis nostræ, ceterarum virtutum actus imperatos in Christo fuisse: quomodo vnaquaque propter ipsam exercetur, etsi id ad virtutis cuiusque exercitium requiratur.



CONTROVERSIA SEPTIMA. DE HONORARIIS CHRISTI, QVA hominis, dignitatibus.

IN honorariis Christi, quæ hominis, dignitatibus numerantur hæc, Regnum, Dominiûmque in creata; Sacerdotium summum, siue spirituale regnum, Mediatoris officium, capitis dignitas, iudicialia potestas, ac debita ipsi adoratio: quorum singula singulis exactè disputationibus absolue-



DISPUTATIO I.

De Regno, & Dominio hominis Christi, in creata reliqua.

Christi regnum dominiûmque ex parte formæ ac dignitatis, multiplex considerari potest. Primò enim considerari potest Regnum ipsius diuinum quod ipsi, quæ homo est, siue eius humanitati minimè conuenire, certum constat apud Theologos est. Licet enim Math. 28. num. 18. etiam respectu humanitatis suæ dixerit, *data est mihi omnia potestas in celo, & in terra*: terminos potestatis suæ humanitatis datæ designat, non autem omnem potestatem, quæ in celo est, etiam diuinam, datam declarat. Imò solam spiritualis regni sui potestatem significasse concors Patrum sententia est. Ratio est ex dictis contr. 4. d. 2. perspicua: quia potestas, dignitasque Regia diuina est attributum diuinum commune metaphysicè consequens Deitatem Deûmque quæ talem; nullum autem attributum diuinum commune suum effectum formalem, formalitatemve communicat humanitati, imò neque communicare potest, sed ei tantum, qui re ipsa Deitati identificatur. Quod secus habet in formalitatibus personalibus v.g. Paternitate, filiatione quæ humanitate filiam denominat atque denominatiuè constituit.

At, inquit: humanitas est filia naturalis Dei: ergo iure filiationis naturalis Dei, quasi hæreditarie, competit ius ad Regiam potestatem Dei, bonaque omnia ipsius: vt arguebat adhuc ex filiatione nostrâ adoptiuâ paulus. *Et ergo filij, & hæredes, hæredes quidem Dei.* Sed Paulus bene infert supposita subiecti capacitate, nec ad omnia Dei ius hæreditarium concedit adopti-

R. P. Christoph. de Ortega, de Deo vno & Trino.

nis. Non est autem capacitas in humanitate Christi denominatiuè filia ad Regnum diuinum; quod indiuisibiliter est supremâ potestas in creata omnia, atque in ipsa humanitate: respectu autem sui humanitas potestatem habere nequit; quare, nec diuinam, quæ essentialiter est potestas in illam. Solum ergo disputari potest de Christi, quæ hominis, Regno diuino, ac purè increato inferiori, seu, quod creatum absolute est, licet titulo vnionis habeatur. Hoc autem diuidi potest ex parte formæ in Regnum purè humanum, & humano superius; rursus humanum, ex parte materiæ, in particulare vnus vel plurium prouinciarum; & vniuersale totius orbis, scilicet subnariis. Primò igitur speciale Christi in Iudæos Regnum examinabimus. Secundò an habuerit regnum vniuersale humanis simile. Tertiò an humanis superius? Quartò de ipsius in creata Dominio.

QVÆSTIO I.

Habueritne Christus homo speciale Iudæorum regnum, iusve aliquod ad illud?

Voniam præcipuum hominis Christi ius ad Hæbreorum seu Iudæorum Regnum progenies ipsius ex Dauidè iusque ob illam hæreditariam esse posset Christi ex Dauidè; generatio examinanda hic rigidè erit. Equidem Christum ex Dauid generatum constat ex vtrâque Math. & Lucæ genealogia cap. 1. Romanorum 1. n. 3. & cap. 2. ad Thim. 2. num. 8. id autem rursus ex vtroque parente reputatio nempe, Ioseph, & naturali, scilicet Mariæ, constat. Cum enim Ioseph Dauid filius linea mascula fuerit, vt dicitur Math. & Lucæ 1. in genealogia: & rursus apud Math. num. 20. & Lucam num. 26. & cap. 2. num. 4. atque ex

H H h h 2 Hæbreo